









LIBELLVS SELECTIORVM QVARVNdam rerum vtilissimarum ex Iustiniano cuiusdam Anonimi.

PAter tuus magnus & prudens Senator tuiq; vt filij amantissimus, vult vt te quam primum, des Iurisprudentiæ, & me vrget vt viam tibi demonstrem in qua vltra biennium non hæreas; scio non deesse isthic tibi ductores & directores, ego vero me in ea classe non censeo, qui hoc meo tempore aduerso debeant aut possint; tamen vt patri tuo pro tot tantisq; beneficiis, quæ cumulatè in me contulit morem geram, tuisq; studiis seruiam, digitum saltem intendam, & adolescentiam quam non habeo meam tibi dabo, vt ex ea tuā si libet recognoscas. Ad iurisprudentiam

tiam priusquàm venias duo præmittenda sunt. Dialectica & Ethica: illa vt methodum tibi compares, quæ te per iuris labirinthum ducat; hæc vt fontes iuris concilies. Sed hic non subtilem & exactam illam Dialecticam exigo, satis est locos argumentorum scire. In Ethicis quintum librum, quo nullus vberior, nouisse director studiorum tuorum, vtrumq; compendiosè intra quadrantem anni expediet.

Age ad ipsum studium iuris illud ordinis faciliorisq; doctrinæ causa in tria membra distribui.

In { Auditionem
Lectionem &
Exercitium.

In prioribus duobus duo occurrunt. Quid. Quo ordine. & Quo tempore audiendum aut legendum sit.

Hem inquies quæ tempora? quis ingredietur hanc viam & egredietur?

Tu, si

Tu si methodum, hoc est ordinem strictè obseruaueris, assiduam industriam adhibueris, proinde inuigiles, nec te superet tortura laboris. Fortior insurgas cunctisue recentior horis.

Quid igitur inquies primũ audiam & legam?

Institutiones quæ sunt elementa iuris, sed duplici Methodo.

Prima est vt quatuor isti libri leui ac simplici via nude vt sunt, & omissis glosis, & obsoletarum materiarum titulis, tradantur. Alioquin si præceptor statim ab initio rudem adhuc & infirmum animum incipientem, multitudine commentariorum ac varietate, rerum præsertim antiquarum onerauerit, duorum alterum (vt Iusti. Imp. inquit) aut desertorem studiorum efficiet, aut cum magno labore, sæpè etiam cum diffidentia, quæ plerunq; iuuenes auertit, serius ad id perducet; ad

quod leuiore via ductus, sine magno labore & sine vlla diffidentia perduci potuisset. Mora igitur hic inter legendum nulla sit, ne animum tuum attonitum reddat, nouitas rerum & magnitudo librorum. Regulas iuris etiam non intellectas edisce, sed non ea confusione qua in Institut. annexa respiciuntur; præceptoris cura hic opus est, vt in tres classes eas redigat, & ad tria obiecta iuris, hoc est ad res, personas & actiones singulariter accomodet.

En exemplum de personis peculiari indice à me descriptum sub Nō. 1. det reliqua præceptor.

Obscuriorum porrò nominum & verborum explicatio prolixa facienda non est, sed satis est numerum in tit. de verb. significat. indicasse, quo eorum interpretatio continetur. eum tu tradas libro iam ante parato titulumq; totum de verb. signif. habeas pro nomenclatore; &

in hac

in hac re ſtudiũ primi ſemeſtris locetur.

Nimis anguſtum tempus eſſe dices? latum erit ſi obſoleti minuſq; in Polonia neceſſarij Tit. omittantur.

Qui illi ſunt quæris?

Ecce dicam.

Primus liber Tit. habet XXVI.

Ex iis duntaxat ſex tibi aſſigno reliquos omitte.

1. Eſt de Iuſtitia. 2 De iure naturali gentium & Ciuili. 3. De patria poteſtate. 4. De nuptiis. 5. De tutellis. 6. De curatoribus.

Secundus liber continet Tit. XXV.

Hic nouem tantum à te exigo.

1. De rerum diuiſione 2. de ſeruitutibus rus. præd 3. De vſu fru-

ctu vsu & habitatione. 4. De vsu capionibus. 5. De donationibus. 6. Quibus alienare licet. 7. De testamentis & codicillis faciendis & rumpendis. 8. De hæredibus instituendis & exhæredandis.

Si pauciores vis. Omitto 6. & 8. quorum etsi nullus in Polonia vsus esse videatur, ego tamen magnum esse puto, & præcipuè octaui tituli.

De substitutionibus vsum existimo eorum, qui præter testamenta, ordinationes actis publicis insinuare solent & probo.

Liber tertius XXX Tit. complectitur.

Hic me liberalem esse agnosces, in tui enim vsũ octo duntaxat assigno.

1. De hæreditatibus quæ ab intestato deferuntur, velim à præceptore totam hanc materiam quam Imp. tredecim tit. tractat, vno titulo per regulas certas expedire. Habet hoc

Brede-

Brederodius in sua Analisi, eum seque re. 2. De obligationum diuisione: rerum & verborum obligatione, diuisione stipulationum, inutilibus stipulationibus, & literarum obliga tionibus. 3. De fideiussoribus. 4. De emptione & venditione 5. De locatione & conductione. 6. De societate. 7. De mandato De obligationibus quæ quasi ex contractu nascuntur, & modis quibus eæ tolluntur.

Liber quartus continet XXX. titulos.

Hic fateor difficilior, quia practicus, iurisq; processum tradit, hunc etiam vel totum differri ad alteram Methodum, vel ex eo præcipuas saltim materias excerpi tradiq; velim. Nempe.

1. De obligationibus quæ ex delicto nascuntur. 2. De vi bonorum raptorum. 3. De lege Aquilia. 4. De

Iniuriis. 5. De actionibus. hic titulus prolixus & perplexus est; ad Brederody analisim vel Wolfy Erotemata relego: sed cum hoc titulo coniungendus titulus.

Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur: tum etiam titulus.

De perpetuis & temporalibus actionibus.

De interdictis & officio Iudicis. 6. De procuratoribus. 7. De satisdationibus siue cautionibus. 8 De Exceptionibus 9. De replicationibus. 10. De pœna temere litigantium. 11 De publicis Iudiciis.

Hæcne moles tanta videtur, quã intra trimestre spatium absoluere non possis? ne absterreare. Instit: absolues si ordo, si constantia sit, & regulas iuris finies, si quisq; dies officium suum faciat. Sunt regularum iuris duæ Centuriæ; si singulis diebus quinq; regulas memoriæ mandaueris, spacio sex septimanarum vtramq; cen-

q; centuriam absolues; quod reliquum est temporis, repetitionibus & colligendis sententiis phrasibusq; iuridicis dabis, mihi si olim talis monitor contigisset vel citius absoluissem.

De prima Methodo habes.

Altera difficilior est, ideo vltra semestre, vnum insuper quadrantem anni tibi largior; necesse igitur est, vt hi quatuor libri diligentissimè atq; exactissimè euoluantur & exponantur, omniaq; ad Methodũ accomodentur, sed nulla melior Methodus est Analitica. Enarraturus itaq; præceptor tuus Instit. libros, omissis interpretum ambagibus, singulorum in primis librorum dispositionem, in breuem tabulam contrahat, eamq; ductis lineis ob oculos proponat: singulas verò materias titulis distinctas Methodo Analitica per causas expli-

cet: & primo quidem definitionem nominis & rei ex tit de verb. signif, vel ex Otomani aliorumq; lexico iuris inquirat, tum diuisiones, causam efficientem, tam propinquam quam remotam, materialem etiam, formalem, finalem, effectus, & pugnantes causas, designet: præcipuas sententias ex singulis titulis & paragraphis applicet.

De huius Methodi si rectè intelligatur & accomodetur, commodis, satis nunquam dici poterit, nec quantum mihi contulisse eandem putem, facilè equidem dixerim.

Post expeditam auditionem & lectionem, in exercitio solertem te esse oportet, multa tibi ex præceptore quærenda sunt, plura a te ipso repetenda, omnia cum æqualibus conferenda, nec vtilius quicquam, quam vnamquamq; materiam, simul ac tradita, euoluta atq; cognita fuerit, in certas propositiones con-

cludere,

cludere, & ſingulis hebdomadis inter æquales proponere diſceptandam: quæ enim ſinguli didicerint ea in medium, velut in magnum collata aceruum, ad vnumquemq; diſſerendo redeunt, ac ipſo diſputationum inſtrumento perpoliuntur omnia.

Itaq; & tu ad hanc palæſtram veni, ante lectionem fac periculum in ijs quæ legenda ſunt, quantum intelligas; in lectione attende, vtrum interpretatio præceptorum præuiſioni tuæ congruat: poſt lectionem ſingula repete, dubiane te morentur, ſed trade omnia libro, dubijs peculiariter deſtinato, tempuſq; liberum nactus, eorum diſſolutionem à præceptore exige, ipſe etiam ex libris quære, cum reperiſti ſtylum cape, excerpe, & velut annonam in horreum repone.

Sint autem quatuor libri tibi parati & diſtincti.

Vnus in quem Historiam Iuris Ciuilis consignes.

Secundus qui Analisim singularum materiarum contineat.

Tertius in quem præcipuas obiectiones & responsiones singularum materiarum congeras.

Quartus in quo phrases & voces iuridicas conserues.

In his labor aliquis, at mihi crede vtilis. Trimestris res est, sed dictu quam factu facilius: exemplisq; istam Methodum adumbrandam esse dices. Præ eo igitur scripto hisce peculiariter annexo; illud sub numero 2. vide & insiste.

Iam tres adhuc anni quadrantes ad absoluendum iuris cursum reliqui sunt; ars longa sed tempus breue & vita hominis breuis, compendio igitur vtendum.

Duas principales partes vniuersi iuris specto.

Pandectas & Codicem, his reli-

quum

quum tribuatur: priusquam autem ad eas peruenias vtile est paratitla Vesembecij in Codicē, & paratitlam Cuiacij in Digesta breuiter & obiter cognoscere: nec in materiis obsoletis vel non intellectis hærendum; posterior enim dies prioris magister est. Deinde verò omissis istis titulis qui in Instit. Analiticè explicati sunt, concordantes pandectarū & Codicis tituli, vtiles tamen & necessarij coniungendi, & in conclusionesmethodo Analitica redigendi, accuratiusq; in memoriæ thesaurum recondendi sunt. Ab interpretibus & DD. pomposis plane abstineas, lecta ad certam Analisis classem referas. Hic necesse est vt plurimum audias, quæras, intelligas, memoriæ mandes, in amicorū quotidianis colloquiis & congressibus de studiis iuris loquaris, publicis disputationibus intersis, prius tamen theses earum rectè intelligas, oppo-

sitiones

sitiones & defensiones subtiliores obserues, & collegium circularis disputationis instituas, libros & animum præcipuarum materiarum cognitione impleas, quod nulla alia re assequeris, quam quærendo, audiendo, legendo, disputando. Atq; hæc pro admonitione breui sufficiant.

Sed duo adhuc desiderare videris. Primo vt concordantiam pandectarum & Codicis demonstrem. Secundo. vt quæ materiæ in Pandectis quæ in Codice euoluendæ sint ostendam.

Primum quod attinet; multorum Doctorum concordantiæ cum extent, quid meis opus est?

Alterum ne tibi desim vno quasi indice ostendam.

Pandectarum partes sunt 7. Lib. 50.

Prima pars libros quatuor continet, titulos. 52. ex iis omnibus tres

tantum

tantum assigno titulos. Nempe in lib.2. Tit 1. De Iurisdictione. Tit. 14. de pactis & Tit. 15. De transactionibus Hic omnino legenda est tibi Methodica explicatio Bartholdi. Sed hoc vicissim, mihi patris tui nomine stipulor, vt indicem omnium titulorum in promptu habeas, eumq; requisitus recites; ne si de titulis quæstio incidat, tu eorum sedem ignores : & ex singulis titulis obiter saltem intellectis, sententias iuris colligas, inq; librum sententiarum conferas, qui labor etsi ab aliis quæsitus sit, tamen tuum proprium exposco.

Secunda pars Pandectarum libros habet septē.

Titulos 40.

Ex iis duos tibi tantum titulos attribuo, nempe finium regundorum, qui apud nos Succamerariorum proprius est; & familiæ hercis-

ſcundæ, qui ad communes hæredes pertinet.

Tertia pars Pandectarum.

Quia materiam de cõtractibus vtilem, & quotidianã continet; ideo quidquam hîc remittere nefas esto. Ad eam igitur totam, te totum adſtringo.

Quarta pars Pandectarum octo libros & 47. Tit: habet.

Liber 20. huius partis materiam de pignoribus & hypothecis continet, is totus ad Analiſim reuocandus, & interpres terſus poſtea, vbi maturueris quærendus tibi eſt. Liber 22. de vſura & mora vtilis eſt, ideo non prætereundus A reliquis quinq; libris, qui materiam de nuptiis & tutelis in Inſtit abſolutam redegerunt, ideo te pro hac vice liberum pronuncio.

Quinta

Quinta pars 9. libros & 44. Tit. continet.

Sed tota de teſtamentis & legatis, liber ergo ſis Hic tamen excipio, vt ex hac tota parte nomenclatorem legatorum tibi conficias; proderit in multis.

Sexta pars octo libros 97. tit complectitur.

Ex libro 37. titulos ſex & 7. de collatione bonorum, tibi impono. Ex lib. 39. Tit. de operis noui nunciatione. Item titulum 4. de vectigalibus & commiſſis. Ex lib. 41. Tit. 2. de acquirenda vel amittenda poſſeſſione. Author hic ſingularis Methodicus quærendus tibi eſt Ex lib. 42. Tit. 1. de re iudicata & de effectu ſententiarum Tit. 2 de confeſſis. Tit. 3. de ceſſione bonorum. Ex lib. 45. Tit. De verborum obligatione. Ex lib. 46. Tit. 2. de Nouationibus.

onibus Tit 3, de acceptilatione. Tit. 9. de priuatis delictis. Ex lib. 48. De publicis iudiciis. Liber 47. totus percurrendus est. Liber 49. De appellationibus methodicè explicandus. Ex lib. 50. Tit. 13. Si iudex litem suam fecerit.

Et hic habes primum quod volebas.

Similiter & in Codice necessarij ab vtilibus titulis secernendi sunt.

Primus liber habet 59 Tredecim religiosi sunt ob elegantiam tamen sententiarum & verborum legendi & sententiæ seligendæ sunt. Vnam ex Tit. 2. de SS. Ecclesiis dabo, tu cæteras quære. De libertate testatoris. Nihil, inquit est quod magis debeatur hominibus, quam vt supremæ voluntatis (postquam iam aliud velle non potest) liber sit stylus,

lus, & licitum, quod iterum non edit arbitrium. Ita elegans & sententiosus est totus fere Codex. Sententia olim Sturmij magni illius Oratoris hæc fuit. Amisso Cicerone posse facile nitorem Latini sermonis ex Codice & Pandectis restitui. Sit igitur lectio horum librorum tibi commendata. Quæ de Magistratibus largè dicuntur, ad obseruationem veteris Historiæ refer.

Secundus liber Codicis habet Tit: 44.

Pandectis 17. tituli Codicis respondent: singulares hi sunt. Tit. 8. Ne quis in sua causa iudicet. 6. Vt nemo inuitus agere cogatur. 9. De litis contestatione 10. De plus petitionibus. 27. Quando licet sine Iudice vnicuiq; se vindicare. 29 De inofficiosis damnationibus 20. De inofficiosis dotibus, hos lege & tene.

Liber

Liber 4. Codicis habet Tit: 66.

Communes cum pandectis sunt. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10 18. 19. 20. 22. 23. 24. 25. 26. 28. 29. 31. 32, 33. 34. 35. 37. 38. 39 40. 44. 45. 48. 49. 55. 57. 58. 60 61, 64. 65.

Singulares tibi assigno 4.

Tit. ex delictis defunctorum in quantum hæredes conueniantur. Tit. 47. Quæ res exportari non debent. Tit 59 De Monopoliis. Tit. 66. De Iure Emphyteutico.

Liber 5. Codicis 75. Tit: continet.

Qui communes cum pandectis sint; ex libro concordantium pete

Singulares tibi asigno hos.

Titulos tres de donationibus ante nuptias, vel propter nuptias. Tit. 11.

De do.

De dotis promissione. Tit. 5. de dote cauta & non numerata.

Liber 6. Tit: habet 62.

Omissis concordantibus titulis, vnum reseruo tibi, nempe Tit. 41. de indicta viduitate tollenda.

Liber 7. habet Tit: 15.

Duos tibi designo tit. 73. de priuilegio fisci. & tit. 74. de priuilegio dotis

Liber 8. habet Tit. 58.

Ex iis tres secerno Tit. 30. de luitione pignoris. Tit. 31. Si vnus ex pluribus hæredibus creditoris vel debitoris partem suam debiti soluerit vel acceperit. Titulo 44. de euictionibus, cum pandectarum libro 21. Tit. 2. coniunge.

Liber 9. habet 51.

Nota titulum 7. Si quis Principi male dixerit. Tit. 13. de raptu virginum, tit. 18. de maleficis & Mathe-

maticis.

maticis. Tit 19 de sepulchro violato. Tit. 22. Ad legem Corneliam de falsis. Tit. 24. De falsa moneta. Tit. 25 de mutatione nominis.

Liber 10, habet titulos 77. Singulares hi sunt.

Tit. 10. De bonis vacantibus. Tit. 11. De delatoribus Tit 19 de exactionibus tributorum. Tit, 20. De superactionibus.

Liber 11, habet Tit: 78.

Hic nulla est concordantia cum pandectis: vetera sunt obiter tamen legi possunt.

Liber 12. Titulos habet 63.

Totus de dignitatibus & Officialibus Romanorum, sit ergo tibi arbitrarius. Præceptoris autem semper erit hæc cura, vt vbi in Pandectis, Codice, & Nouellis per posteriorum Imp. Constit. emendatum

quidquam

quidquam vel mutatum aut ſublatum eſt indicet. Vt ſit etiam, qui in quibus ius Regni Poloniæ à Ciuili Romano differat, pau cis tibi oſtendat; votum meum eſt. Sed tu ipſe Deo dante aliquando intelliges, ius Romanum à iure, quo in Polonia vtimur, accidentiis non autem ſubſtantia differe.

Iis ſic pertractatis ſi quid reſidui temporis erit, tribues materiæ Feudali, cuius vſus & ſi in Polonia nullus eſſe videatur, maximus tamen eſt ob Duces Pruſſiæ & Liuoniæ Vaſallos Regni. Si voles adhibita methodo, rem totam trium menſium ſpatio expeditam reddes. Sed hic vel Bartholdi vel Suedenicy Methodo vtendum cenſeo.

Feci iam quod pater voluit.

Et hic habes; vtinam pro tuo vſu & meo affectu.

Accipe alacriter & animum agnoſce.

No 2.

No 2.

Exempla Analiticæ resolutionis.

Institutiones iuris nobis propositæ sunt.

Earum proœmium sic resoluo.

Si numero paragraphos, septem esse reperio.

Singulos connoto cum appendiculis summularum.

Initium tituli est de vsu armorum & legum: quorum primus de bellis & legibus Iustinia: tractat. & cum: 29 De compositione Codicis& Pandectarũ: Cumq; hoc Deo 39. De tempore, auctoribus fine & vtilitate cõpositionis Instit. Igitur post libros 4. Diuisio Instit. in quibus breuiter quin.

ter quintus. Quid in Inst. contineatur. quas ex omnibus 6. Ex quibus libris compositæ sunt Institutiones, atq; eorum recognitio atq confirmatio. Summa itaq; ope 7 adhortatio ad studium Iuris.

Ordine iam Analytico obseruato inuestiganda est primum definitio nominis.

Definitio nominis in titulo de verb. sig. non reperitur, ideo ex textu petenda. Institutio vocabulum ab instituendo deriuatur, significat prima elementa cuiusq; doctrinæ quibus homines erudiuntur. Igitur post 4. Instit. iuris, sunt Methodus totius prudentiæ ex omnibus antiquorum Iureconsulc. commentariis, per tres istos authoritate Imp. Iustin. breuiter efformata & in 4. libros redacta confirmataq;, vt sint prima totius iuris elementa.

Genus huius definitionis est Me-

thodus, quæ pluribus facultatibus conuenit, singulæ enim facultates suam methodum habent.

Specifica differentia qua hæc ab aliis differt, est Iurisprudentiæ Methodus.

Causa efficiens Instit. remota & generalis est, Deus omnium legum au-ctor lib. 2. de legibus.

Causa propinqua id est auctor proximus harum Instit. est Iustinianus Imp.

Causa impulsiua est eiusdem Imp. amor erga iuuentutem quem declarat in Inst. Cumq; hoc Deo 30.

Causa adiuuans est trium ipsorum opera Trebonij Theophili & Dorothei. Inst. igitur post quatuor & Cūq; hoc. Deo 30 Hic prodest obseruerantiquitatum Romanorum iura progressus & mutationes. Quæ diligenter T. Palius annotauit, quem vide fol. 13. Inst. editarum.

Materialis causa circa quam ver-

sentur

sentur Instit. triplex est Personæ, res, & actiones. In horum enim trium explicatione libri 4. Instit. absoluuntur.

Causa formalis est ipsa Methodus iuris definita.

Causam finalem exprimit Imp: in Instit. 4. quod sint totius iuris prima elementa.

Effectus Instit. est auctoritas, & ius harum Instit. quam Imp. eandem esse voluit, quæ est reliquarum legũ & Constit. Inst. 6. Institutiones igitur instar legum allegari possunt, & vim legis obtinent.

Ad hanc Methodum pertinent etiam adiacentia id est requisitio eius rei quæ proponitur.

Adiacentia Inst. colligi possunt ex Inst. §ult. huius præmij: opus est primum. Summa ope auxilio diuino & sumptibus humanis: deinde alacri studio & vigilijs, tum informatione siue auditione lectione exercitatio-

ne, & ordine.

Cognata horum Inst. sunt Decalogus, leges morales, & Ethica doctrina.

Pugnantia sunt ea omnia quæ supra dicto ordini Analitico non congruunt, vt sunt, Constitutiones antiquæ olim confusè scriptæ & abrogatæ: veteres Ethnicorum leges, statuta omnia hisce contraria: consuetudines contra bonos mores introductæ.

Atq; hæc est Analitica resolutio Proæmij quâ si ita in cæteris vsus fueris, intellectus tuus per causas bene eformatus quiescet, & quoad Theoriam quærere desinet.

Sententiæ seu Axiomata seu πόρίςματα ex proæmio Inst. collecta, hæc sunt.

1. Duo sunt tempora Belli scilicet & pacis, tempus pacis legibus, belli veró armis recte gubernatur.

II. Imperator, Rex, Princeps, non ex armis tantùm sed etiam ex legibus & Constit. legitimis gloriosam sibi comparet victoriam.

III. Qui etiam in communi Reip. functione agere vult, vtriusq; temporis belli scilicet & pacis, artes egregiè teneat oportet. In Initio proœmij.

IV. Cum summis vigilis, sudoribus, summaq; prouidentia magistratus publice negotia perficiat. Inst. I. sudoribus bellicis augeat, non minuat Imperium Princeps.

V. Princeps non solum hostilibus prælijs victor existat & triumphator, sed etiam per legittimos tramites, calumniantium iniquitates expellat. Inst. 6.

VI. Auspicijs Dei omnia sunt inchoanda tenenda & perficienda Deoq; adscribenda est victoria. Inst. Cumq; 3 Hinc illa annuente Deo perfecimus Inst. 1. victorijs à cęlesti nu-

mine

mine præstitis. Inst. 2. Cælesti fauore adimpleuimus. Inst. 2. Deo propitio hoc peractum est § 3.

VII. Omnes populi legibus reguntur. infine.

VIII, Imperatoris est populos legibus regere, & Constitutiones ante confusas in luculentam redigere cō sonantiam. §. 2. Et quæ de consuetudine adumbrata sunt, Imperiali remedio illuminare. §. 3.

IX. Sæpè opus ab alijs desperatū, alij curam extendentes, & quasi per medium profundum euntes, adimplent, § Et cum. 10.

X Tria compositorum Iuris & Consiliariorum requisita esse debēt, solertia, legum scientia, & fides. § 3: Ea autem non ex commendatione verborum, sed ex multis rerum argumentis accipienda sunt. § 3.

XI. Iura non nisi quę ex mādato speciali, ex auctoritate summi Magistratus, à viris prudentibus ex sta

tutis

tutis & Constitutionibus composi-ta, Regi & Ordinibus oblata, lecta, & Comitiali remedio illuminata. recognita & approbata sunt; recipi debent. § 3. & 6

Hinc liquet Regem non rudem esse debere.

Huic sententiæ congruit Constitutio Regni Poloniæ quæ sic habet. Constitutiones nouæ neminem onerabunt donec in Comitijs publicētur. Vide. Herburtum Lat. Fol, 3.

XII. Adolescentium tám aures quám animi nihil inutile nihilq; perperam propositum sed, quod in ipsis rerum argumentis obtinet, id est, quod in vsu est, accipiant.

XIII. Adolescentes iuri operam daturi, alacri cupidoq; animo id faciant, nec facile suscipiant, aut facilius desinant. § vlt.

XIV. Reipub. gubernatio est verus Iurisprudentiæ scopulus ac finis

§ vlt.

§ vlt.

XV Nemo niſi toto opere perfe cto, hoc eſt, abſoluto ſtudiorum ſuorum curſu, ad gubernandam Rem pub. vel eius partem accedere debet, dicto. § vlt.

XVI. Initium rerum ſemper á voce principali procedat § in fine.

XVII. Principis eſt rectè gubernare, expellere calumniãtes, vigilare, prouidere: auulſa imperio recuperare: nemini niſi ſolertibus prudentibus & fidelibus credere: rem non ex ſuſpicionibus vel delationibus, ſed multis rerum argumentis æſtimare: mandare æqua: ſuadere honeſta: iubere iuſta: inumbrata & obſcura Imperiali remedio illuminare: oblata legere, recognoſcere, & pleniſſimum tandem robur eis accomodare: partem Reipub. non niſi vel eruditis, vel de quibus ſpes bona eſt credere. Carptim hæc ex proœmio.

XVIII.

XVIII. Nemo ſine Inſt. iuris doctrina ad praxim forēſem accedat. §3

XIX. Sciētia nō ab antiquis fabulis ſed ex fontibus diſcenda eſt.

XX. Non erubeſcebant olim & ipſi Principes ambire & gerere Conſulatus, aliaq; publica munera: probatur id exemplo Iuſtiniani Imp. qui tertio Conſul factus.

XXI. Nemo ſe eruditum credere, ſed eruditum ſe eſſe oſtēdere debet. § fin.

XXII. Fælicitas iuuenum eſt á primordio per rectos ſtudiorum tramites ingredi.

XXIII. Studioſos Iuris foueat hæc in ſudoribus literarum ſpes ſemper pulcherrima, poſſe enim eos abſoluto ſtudiorū curſu, vel ad totam Remp. vel partem eius adminiſtrādam vocari. § fin.

Suffecerint hæc pro Copia in tanta proœmij inopia.

Nomen

Priscorum Imperatorum & Ducũ nomina & titulos Minsingerus explicat. Non itero igitur hic.

Verbum calumniari generale est, & omnem malitiam ingenij complectitur, Cic: de Repub. 2. sæpe (inquit) optimas causas, ingenij calumnia ludificari solet, Existunt (idem inquit lib. 1. Ofic.) sæpè iniuriæ, calumnia quadam, & nimis callida atq; malitia iuris interpretatione. Huc pertinet lex 8. Calumniarũ 233. de verb. signif. quæ sic habet. Si calui-tur aliâs calumnietur: inde & calumniatores dicti sunt.

Hostis definitio extat in lege Hostes, 118. De ver. sig. quos nos hostes appellamus, eos veteres perduelles appellabant, per eam adiectionem indicantes cum quibus bellum esset

Verbum oportet tam præsens quam futurum tempus significat. l. verbũ ff de. ver. sig.

Magiſtri cui præcipua rerum cura in cumbit, & qui magis quam cæteri diligentiam & ſolicitudinem rebus, quibus præſunt debent; hi magiſtri appellantur, quin etiam ipſi magiſtratus per deriuationem á magiſtris cognominantur: vnde etiam cuiuſlibet diſciplinæ præceptores magiſtros appellari à mouendo vel monſtrando lib 57. De ver. ſignif.

Ad § 1· verbo Perfecimus. videl. 139.§ perfeciſſe de ver. ſig. perfeciſſe is videtur, qui ædificium ita conſummauit, vt iam in vſu eſſe poſſit.

Promulgamus noſtras leges, componimus alienas. § Sacratiſſimæ dicuntur Conſtit. § 2. Non igitur violandæ. Per medias difficultates & impedimenta Metaphoricę quaſi per mare profundum ire dicitur. § 2. Recognoſcere vt relegere vide l. cognoſcere § 6. de ver, Sig.

Cognoſcere inſtrumenta eſt relegere & cognoſcere. Pater Patriæ nominari pri

ri primus Cicero meruit, deinde factũ est omnib⁹ Imp promiscuũ vide Alciat. in annotationibus ad Tacit. lib. 2. Vsum eius tituli ostendit Seneca lib. 1. De Clementia.

Cęterorum verbum hic per l. 160. De ver. Sig. explicatur. Cæterorũ vt reliquorum appellatione omnes continentur.

Ex istis qui sequebantur forum togati, qui Scholas Antecessores & DD. & Interpretes dicebantur. l. 11. De *confec.* Digestorũ: quos discipuli præeuntes in alicuius artis penetralia sequuntur.

Institutiones dicuntur prima legum cunabula, primordia.

Isti dicebantur olim Viri Magni §2 Illustres. §3. Excelsi viri §4. Viri Illustres & facundissimi. §4. Viri prudentes §6.

Resolutio materiæ de tutelis

Ommissis Paragraphorum numeris, qui præ oculis sunt. *Tutella* signi

ficat

ficat tuitionem. *Tutores* quasi tuitores. *Tutela* est (vt res definiatur) vis ac potestas in capite libero, adtuendum eum qui per ætatem sua sponte se defendere nequit, iure ciuili data & permissa. Potestas genus est in definitione multis speciebus commune, Nam & curationi & potestati, quam pater in liberos dominus in seruos, habet, conuenit. Additur ergo specifica differentia, quod sit potestas in capite; id est in homine libero, qui differt á seruis. Illi enim in tutela esse non possunt, qui in potestate domini sunt. Verba in capite libero materialem causam denotant, quod tutor principaliter personæ pupilli & non bonis detur; quemadmodum curator bonorum. Idem indicat Imp. per dictionem: Eum.

Causa efficiens tutellæ est Iuris Ciuilis dispositio triplex. Vel enim tutor ex Testamento datur, & is testamentarius dicitur. Vel a lege. Qui lei

gi

gati eius Vel à magiſtratu qui datiuus dicitur. hinc ergo triplicem habemus tutelam. *Teſtamentariam Legitimam & Datiuam.* De teſtamentaria agit tit. 13. & ff de legitima Tit. 15. De datiua Tit. 20.

Cauſa formalis conſiſtit in confirmatione Iudicis & ſatisdatione Tutoris, inuentariiq; confectione. de quibus Tit. 20. Tit. 24. agitur.

Cauſa finalis, vt tueatur perſonam liberam quæ ſe ipſum regere non poteſt. Effectus tutelæ duo ſunt precipui *Auctoritas Tutoris* de qua Tit. 24 Et actio quæ datur contra pupillum finita Tutella, & viciſſim pupillo cõtra tutorem.

Inter *Cognata* tutelæ, refertur cura: magna enim inter tutorem & curam cognitio eſt, differunt tamen in pleriſq;, quæ illa ſint, patet ex Tit. 28.

Pugnantia tutellæ ſunt ea omnia quæ cum ſupra memoratis cauſis pugnant Verbi gratia. Qui teſtamento

tu

tu. dari nō poſſunt. de quo agit Tit. 14. pugnant cum cauſa efficiente. Ad pugnantia etiam recte referuntur modi omnes quibus tutela finitur: videlicet, pubertate, ſeruitute, captiuitate, morte, magna & media capitis diminutione, de qua agit Tit. 26. & excuſatione tutorum Tit. 25. Cum cura pugnat furor aut prodigalitas ceſſans in adulto, in alijs habet communia pugnantia cum tutelis.

Atq; hæc eſt breuis reſolutio totius materiæ tutorum quæ 13. Tit. Inſtit. compræhenditur.

Axiomata ex Tit. XII. & ſeq. ad finem libri.

1. Pupillum debent tueri tutores. § Tutores autem.

2. Nemo de bonis pupilli diligentius cogitat quam parens. Ideo lex permiſit vt quilibet in teſtamento ſuō poſſit literis dare tutores, ne poſt mortem illorum incerta ſit patris ſollicitudo.

III. Posthumus æque atq; natus ad cõmoda pariter & incommoda admittitur iure fictionis. Fictio enim naturam imitatur. § Cum autem 4. Tit. 13.

IV. Si per errorem quis consentiat nihil valet. § 1 Tit. 14. Qui testamento tutores dari possunt.

V. Personæ non causæ, vel rei tutor datur § ad certum 3. Tit. 4.

VI. Qui tutorem constituit liberis, etiam nepotibus suis constituisse videtur. § vlt 6. Tit. 14.

VII. Ciuilis ratio, ciuilia quidem iura corumpere potest, naturalia verò non vtiq; § sed agnationis Tit. 15.

Verba textus hæc sunt in principio Tit. 17. de legitima patronorum tutela, nominatim quidem in ea lege de hac re non cauetur; sed perinde accepta est per interpretationem, ac si verbis legis introducta esset.

Hinc colligitur sententia, quod aliquando mens legis, vbi verba deficiunt

ciunt, inspicienda considerandaq; sit, Ideo Celsus in l. scire leges qui verba tantum tenet.

IX. Non dandi sunt tutores, qui se ipsos ingerunt aut pecuniam dant vt assumantur. § Ex his 3. Tit. XX.

X. A Prætore secundum iurisdictionem dandum esse tutorem § sed hoc iure 4. d. Tit. 20 Hinc elicitur Episcopum vel Iudicem Ecclesiasticum, sæculari non posse tutorem ordinare, nec vicissim sæcularem clerico, ne vter sit subiectus alterius Iurisdictioni.

XI. Cum est electa industria personæ, non potest quis per substitutam rem commissam explere d. § 4

XII. Regis & ordinum est per Cōstitutionem, difficultates legum & hominum reserare. § Nos autem § penul. d. Tit. 20.

XIII. Magistratus debet defendere non opprimere ciuitatem d. § Nos autem.

XIV

XIV. Prætor non solus, sed vna cum religiosissimo eiusdem Ciuitatis Antistite, secundum constitutionis normam, Ciuitati præesse debet. d. § Nos autem.

XV. Qui perfectæ ætatis est, non debet alterius tutela regi § fin. d. Tit.

XVI. Tutor in rem suam auctor esse non potest. § hi inter 4. Tit. De auctoritate tutorum.

XVII. Dignum est castitate Regia, vt quæ impudica videntur esse in legibus explodat. In princ. Tit. 27. Quibus modis tutela finitur.

XVIII. Limitata causa Limitatum producit effectum: argumento. § fin. Tit. 27. Quibus modis

XIX. In dubijs & obscuris inquisitio facienda est à iudice. § 1. furioso Tit. 23 De auth. Tut.

XX. Qui rebus suis superesse non possunt, publicum munus ne gerãt d. § 1. furioso.

XXI. Qui non sunt idonei ad ad

mini-

ministrationem, & fraudulenter negotia administrant, remouendi sunt. § Interdum 2. d. Tit. 23.

XXII. Actus legitimi decreto decidendi sunt. d. § Interdum,

XXIII. Necessitate impeditus excusatur. d. Tit. vt supra.

XXIV. Fides & diligentia à testatore approbata non est per inquisitionem in dubium vocāda. in princ. Tit. 24. De satisdationibus.

XXV. Vbi periculum est diminutionis, curet Magistratus vt satisdēt reipsius curatores. princ. tit. 24. De satisdat. Tut.

XXVI. Dissentientibus circa electionem partibus, magistratus suas partes interponere debet. d. Tit.

XXVII. Maior pars elligit. Ibidem

XXVIII. Tutela & cura publicum munus est. In prin. Tit. 25. De excusat. Tut.

XXIX. Qui pro Repub. ceciderunt in perpetuū per gloriam viuere

intelli-

intelliguntur. Ibidem.

XXX. Qui Reipub. causa abest veniam meretur. Ibidem § Item.

XXXI. Officium recusari potest, sed susceptum non est deserendum. § Et qui 3. Ibidem.

XXXII. Aliquando est commodum pauperem esse vt in l. scire. § sed & 6.

XXXIII. Inciuile est eos qui alieno auxilio in rebus suis administrãdis egere noscuntur: aliorum tutelã vel curam subire. § Item.

XXXIIII. Promissum Officium non est deserendum. § Item

XXXV. Qui plures habet excusationes, & de quibus non probauerit, alijs, id non prohibetur. § Qui autẽ 16. d. Tit.

XXXVI. Falsæ excusationes non sunt audiendæ. § fin. d. Tit.

XXXVII. Famæ patroni parcendum est. § ostendimus d. Tit.

XXXVIII. Mulieres sexus vere-

cundiam non debent egredi. § consequens 2. d. Tit.

XXXIX. Pium est iniuriam pupillorum non sustinere Ibidem.

XL. Sola paupertas non reddit suspectum, § sed si quis 9. d. Tit. Fidos etiam homines per inprobos mores suspectos reddit. § Suspectū. fin

Atq; hæc de sententijs.

Regulæ Iuris ad tutelas pertinentes ex classe Methodica.

Regulæ iuris huc facile adferri, & singulæ suis locis causarum accomodari poterunt.

Nomenclatura.

Potestatis verbum quid significet explicat l. Potestatis. 215. De ver. sig.

Liberorum appellatione qui comprehendantur indicat l. cognoscere. 56. § liberorum d. Tit. Item l. non est 149. & 148. Nam quem. l. liberorum. 220.

Filiorum appelatione qui continentur

nentur, dictat. l. Filius 84. l. Seruius 122.

Fæminarum appellatio quomodo accipienda sit docet 196. § Fæminarum.

Parentis titulo qui comprehenduntur significat l. Appellatione 51. ff De Verb. signif.

Reliqua consimili studio facile erui poterunt.





COMPEN-



